

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3415

**Auteur(s) :** Lambert Cadoc [chevalier]

**Bénéficiaire(s) :** Louis IX, France (roi)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1227, 10 août

**Lieu d'émission :** Paris

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Lambert Cadoc, chevalier, abandonne tous ses biens à son seigneur, Louis [IX], roi de France et à la reine Blanche, mère du roi, pour 14 200 livres parisis qu'il leur devait.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 363, p. 55-56.

b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1869, t. 3, p. 285.

Texte établi d'après a

Ego Lambertus Caducus, miles, notum facio universis presentes litteras inspecturis quod cum dominus meus clare memorie Philippus Rex illustris, quia contra me motus erat, et quoniam de quadam summa peccunie, videlicet quatuordecim milibus et ducentis libris parisiensium, quas debebam eidem, non feceram gratum suum, me in suum carcerem posuisset, tandem illustrissimo domino meo Ludovico Francorum Regi et illustrissime domine mee Blanche Regine, matri ejus, placuit me a dicto carcere liberare et ego liber et absolutus a predicto carcere predicto domino Regi et domine Regine super sacrosancta manu propria juravi, quod ipsi domino Regi et heredibus ejus et domine Regine Blanche, matri sue, de cetero bene et fideliter serviam et omnia que habebam, sive villas, sive terras, sive possessiones alias, ex dono sive acquisitione, sive quocumque modo, eis quittavi libere et absolute, et juravi quod in hiis nichil unquam de cetero reclamabo, nisi in hiis que domino Regi et domine Regine placeret michi dimittere propria voluntate. Domino autem Regi et domine Regine placuit ea michi dimittere que de acquisitione habueram, videlicet granchiam et terram de Torni, duas domos Vernonis, pratum de Hamellon, granchiam Thyronis, Groolaium, molendinum de Beilo monte Rogeri, molendina Montisfortis, prata domus Bernaui, Thevrayum, Tyleum, Paperont, et Alnetum. Cetera si quidem propter dictam summam peccunie retinuerunt, videlicet Gaillionem, Thooniacum, Noam, molendinum de Autholio, terram de Valle Rodolii, molendinum et domum Pontis Arche, triginta et duos modios vini apud Longevillam, et id quod habebam apud Lymare, terram et domum apud Pontem Audemari, Fresneiam Fayel, Sanctam Anastasiam et Fontanas cum eorum pertinentiis et quidquid acquisieram in eisdem, et omnes cartas quas super hiis habebam in manu domini Regis propria resignavi. Requisivi autem venerabilem patrem meum in Xpisto R. Ebroyensem episcopum ut si de bono et fidei servicio domino Regi vel heredibus suis vel domine Regine, matri sue, aliquo unquam tempore deficerem vel a predictis quittationibus in aliquo resilirem, ipse in me et assistentes michi ferret sentenciam

excommunicationis. Quod ut perpetue stabilitatis obtineat firmitatem, presentes litteras sigilli mei munimine confirmavi. Actum Parisius, anno gratie M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> vicesimo septimo, mense Augusti, in festo Beati Laurentii.